



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

F. Ioannis Andreae Coppensteinii, Ordinis Prædicatorum Theologi & Parochi Heidelbergæ Castigatio Apologiæ Calvino-Catecheticæ

Coppenstein, Johann Andreas

Moguntiaë, 1626

I. An in decimo præcepto prohibeatur concupiscentia, quæ est absque consensu?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35247

fos ad odium Dei & proximi. Et *quæst.* 8. Nos adeo corruptos, ut ad bene agendum PRORSVS simus inidonei; At concupiscere est actus internus. Porro quærit:

cite comprehensis: idcirco demum in vltimo etiam exprimit cogitationis secretae volitionem alienæ personæ, aut rei; ut quæ perinde peccet. Hanc ex præcedentibus Decalogi necessent expresse; etsi implicite nosse poterant; nisi in postremo lex dixisset explicite. Non igitur loquitur de Concupiscentia non volita, seu motu primò primo; sed de volita intus, etsi foris non prodita.

- I. *An in decimo præcepto prohibeatur concupiscentia, quæ est absque consensu?*

MINISTER: Parochus negat: Nos affirmamus, & probamus.

1. Quia de concup. cum consensu actum est in præcedentibus præceptis; ac vel bis idem reperi, absurdum est; aut alius actus seu species concupiscentiæ in decimo prohibetur.

2. Quia Rom. 7. *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces.* At eum sciuisse illam, quæ est cum assensu voluntatis, quis ambigit? Ipsi namque ethnici eam probe norant. *Nam scelus intra se posuitum qui cogitat vllum; Facti crimen habet;* ait Luuenalis.

RESPONDEO AD I. Quia Voluntarium positiuum est de natura peccati; nam habituale ad peccatum non sufficit: (Voluntarium, inquam, liberum, quod proprium est rationalis creaturæ, & liberum à Necessitate vocatur: non Voluntarium spontaneum, quod est irrationalis creaturæ, estque liberum à Coactione:) Idcirco ad peccatum contra præceptum, *Non concupisces*, voluntarium rationale necessario requiritur: Ergo Concupiscentia indeliberata, seu sine consensu Voluntatis, in sola consistens cogitatione, non prohibetur in eo, *Non concupisces*; sed concupiscentia solum deliberata.

Deinde: Non repetitur in, *Non concupisces*, quod in præcedentibus fuerat prohibitum: nam in illis vetatur homicidium, adulterium, furtum, falsum testimonium: in horum altero, concupiscentia Personarum: Rerum, in altero. At perpetratum peccatum; & concupitum, longe differunt: proinde & præcepta differunt.

AD II. Quia Iudæi ad occidentem literam Facti ibant solum, de interna cogitatione volitis parum solliciti; Decalogus autem, quæ erant facti, iam expresserat; etsi cogitatis impli-

- II. *An concupiscentia praua sine consensu, sit vere peccatum?*

MINISTER affirmat. Suadet I. Quia ea est in Legge Dei prohibita.

2. Quia, Rom. 7. 7. Apostolus hanc concupiscentiam vocat expressè peccatum; non metonymice, ut causam pro effectu, quia, ait Trid. Conc. sess. 5. *ex peccatis est, & ad peccata inclinatur*; sed vere & proprie; ut patet ibidem *vers.* 5. 7. 11. 13. 14. Vtideo illud Tridentini glossema sit merè Pelagianum, ab S. Augustino refutatum; Et hic eam concupiscentiam sæpe *malum, & peccatum* appellet, teste Azorio; Ambrosius *viti-um, iniquitatem, ut delectationem mandato Dei aduersam*; teste Bell. l. 5. de amif. gra. c. 22 § 15.

3. Quia concupiscentia hæc, testibus aduersariis, est non bona, non recta, vel ordinata: ergo peccatum est. Adeoque hic distinguere inter *malum, & peccatum*, ut distinguunt Pontificii, absurdum est, & implicat. Nam Rom. 7. eam nunc *malum, nunc peccatum* vocat; vti synonyma, & alia talia. Et Aug. 1. 6. *contra Iulianum cap. 5. a. 1. Qui baptizatur, omni peccato caret; non omni malo, scilicet concupiscentiæ, id est, ibidem, omni reatu omnium malorum, non omnibus malis.* Idem, l. 2. ad Valerium cap. 24. *Hoc est non habere peccatum, Reum non esse peccati.*

4. Quia sic Augustinus, l. 1. de nuptiis, & concup. c. 27. *Neg. enim nulla est iniquitas, cum in vno homine vel superiora inferioribus turpiter seruiunt, vel inferiora superioribus contumaciter reluctantur; etiam si vincere non sinantur. &c.*

5. Pontificii, ut Aquinas in Rom. 8. l. 1. Pererius, statuunt, motus primos inuoluntarios esse in infidelibus vere peccata, & mortalia etiam: quomodo non simul nobiscum asserunt; concupiscentiam omnem illicitam, etiam sine consensu inuoluntariam, esse vere peccatum? &c.

RESPONDEO vniuersè. Concupiscentia est lex membrorum, repugnans legi mentis; fons tentationum; pœna peccati; & simul fomes; naturæ contraria, & languor naturæ;